



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 40. Senatusconsultum contra Surgerii Doctoris sermonem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI. Avansonius Ebrodunensis Archiepiscopus sacrum solemne celebrabat: eadem **A. C. 1595.** autem die ad vesperam Scarfius de Giury Lexoviensis Episcopus eodem officio fungebatur in sanctæ Trinitatis Templo, in Mone-Pontio, ubi Fratres Minimi degunt: adhæc altera die ambo hi Præfules in præfatis duabus Ecclesiis solemni ritu rem divinam peragebant: die vero Dominica vigesima quarta Septembris, quæ post indultam absolutio- nem erat octava, ambo Procuratores sacro a summo Pontifice celebrato intererant, ibidemque ab eodem sacra Synaxi unacum pluribus aliis Nobilibus eos comitantibus reficiebantur.

§. XL.

*Senatusconsultum contra Surgerii
Doctōris sermonem.*

Thu. l. II4. Cum hæc interea Romæ gererentur, Parisiensis Senatus nil eorum prætermiserat, quæ ad conservandam pacem, & reprimendos seditiosos conferre arbitrabatur, eapropter, sicut jam ante retulimus, cujusdam Religiosissime Florentii Jacob theses Mense Julio damnaverat, insuper die decima tertia Septembris Zelum suum exerebat, dum Franciscus Surgerius in sanctæ Crucis coenobio vitam monasticam Lutetia professus, ac Theologus ad Senatum dela-

Sæcul. XVI.
A.C.1595.

delatus fuit, quod idem, dum in sancti Mederici Ecclesia concionem ad populum haberet, pleraque factionem redolentia seditiose dixisset, Elisabetham Anglorum Reginam Jezabellem subinde appellans & sectarios dicens eos, qui fœderationem, & amicitiam cum ea colerent: igitur in carcerem conjectus, & rei convictus postulante Cognitore regio verba temere, & inconsiderate prolata nudo capite genuflexus ignominiose recantare, & veniam a Deo, Rege, ac Curia ob id petere jussus est, inluper concionandi munere interdictus, quousque aliter a Senatu decretum esset: præterea disertim etiam pœna capitis, si in Regem committeret, addita, ipsi injunctum, ne de Principibus Regi amicis, ac fœderatis maledicos, aut injuriosos sermones sereret, quidquamve diceret, quod tranquillitatem publicam turbaret, aut ad seditionem spectaret. Ceterum hæc res in criminalium caussarum tribunali clausis ostiis peracta fuit, idque professionis dignitati, & Patris memoriæ datum, nam hic juris civilis elementa olim Lutetiæ tradiderat, & gratiam a multis ex iis, qui in causa sedebant, & ei operam navaverant, eo nomine emeruerat.

Kk 2

§. XLI.